

PROLUSIO HISTORICO LITTERARIA
DE LIBRO ANTIQUO
DEUTSCHE THEOLOGIE

QUA

AD

ORATIONEM ADITIALEM

D. XXX. IUNII MDCCLXXXIX

IN

AUDITORIO AEGIDIANO

HABENDAM

DECENTER ATQUE HUMANISSIME


INVITAT

GEORGIUS ERNESTUS WALDAU

ECCLESIASTES XENOD. AD SP. S

HISTORIAE LITTERARIAE ATQUE ECCLESIASTICAE


PROF. PUBL



NORIMBERGAE

TYPIS SCHMIDIANIS




 nter libros, a theologiae mysticae seu contemplativae studiosis summo applausu exceptos refertur ille, qui primum Witebergae a. 1518 in 4. apud Io. Grünenberg prodiit, sub titulo: *Eyn Deutsch Theologia. Das ist Eyn edles Büchleyn von rechten vorstandt, was Adam vnd Christus sey vnd wie Adam yn vns sterben vnd Christus ersten fall*: de cuius auctore, contentis, editionibus ac versionibus variis quaedam prolaturus sum, lectu forte haud indigna. Auctor libri mox *Eblendus*, nescio quis, a) mox *Guil. Gratarolus*, medicus, b) fingitur. Cel. I. I. OBERLIN in erudita *diff. de Io. Tauleri dictione vernacula et mystica* (Arg. 1786.) p. 5 inter huius viri scripta refert *die deutsche Theologie*; ast pag. seq. not. a) de illa scribit: „Tauleri sit, an minus, dubitatur, provocatque ad *Heupelii memoriam Tauleri restauratam*, quem libellum videre mihi non contigit. Verum enim vero Taulerus ipse ab auctore Theologiae Germ. cap. XII. citatur, et inde ante eum vixisse, saltem scripsisse, patet; quod et FLACIUS in *Catal. testium verit.* T. II. L. XIX. p. 858. (edit. Genev.) notat, cuius verba paullum obscura haec sunt: „Facit mentionem Tauleri, quod signum est, eum 180 annis vetustiore esse.„ Post praefationem M. Lutheri — ille enim primum Theologiam Germ. edidit — auctor disertis verbis nominatur eques Teutonicus, (ein teütscher Herr) presbyter et custos in domo teutonica Francofurti; quo autem tempore vixerit, non indicatur. Faluntur egregie in auctoris titulo s. dignitate designanda, quotquot cum ARNOLDO c) et *Mich. Neandro* d) eum dicunt *aedituum*, imo pauperem aedituum, eo quod antiquissima praefatio ipsum nominet *custodem in domo* etc. *Custos* autem non idem est atque *aedituus*; sed dignitas multos inter religiosos ordines ex primariis est, qua qui gaudent, praesunt aliis custodiendis, observando ut leges et statuta custodiant, atque etiam, ut ordinis privilegia a nullis violentur. e) Certe, tituli *Equitis Teutonici* ac Presbyteri, quos eadem praefatio huic auctori assignat, cum dignitatis tituli sint, eum minime fuisse pauperem aliquem aedituum, satis evidentiter ostendunt. Forte error inde ortus est, quod Germani aedituum dicant *Küster*, quem crediderunt, per vocem praefationis *Custos* significatum esse. Vtrum autem domus illa Teutonicorum, cui praecrat, Francofurti fuerit ad Moenum, vel ad Oderam, dubitari potest. Ego ad Oderam crediderim fuisse: ibi enim inque locis vicinis potens erat ac dominabatur ordo ille teutonicus s. Iohannitarum.

Hunc libellum putant plerique nominatum esse *Germanicam Theologiam*, quod germanico idiomate primitus sit scriptus: quae etiam mea est sententia, a Luthero in praefamine f) confirmata: Es werden aber, inquit, einige sagen, wir seyen *teütsch* Theologen — Gott geb, das dieser büchlin meer an tag kommen, so werden wir finden, das die *teütschen* Theologen on Zweyfel die besten seyn etc. Ast PETR. POIRETUS in *Biblioth. Mysticor. selecta* p. 297 scribit: „Inducor, ut credam, epitheton hoc non tam ab idiomate, quam ab Ordinis dignitate desumptum esse, qui ordo cum dicitur *teutonicus*, liber inde sit denominatus *Theologia Teutonica*, h. e. a viro, ordini teut. adscripto, profecta, quocumque deinde modo titulum hunc variaverint editores varii, ipseque latinus interpres pro dictione *teutonica*, vocem *Germanicam*, ast minus significanter, adhibuerit.„ Alio loco g) aliam pariterque

a) IO. WOLFIUS in *Leitt. memor.* T. I. p. 863 haec habet: Eblendus Historicus scripsit librum sub titulo Theol. Germanicae circa a. 1460.

b) vid. G. ARNOLDI *Histor. theol. mysticae* p. 335.

c) Loco citato et in *Kirch. u. Keiz. Hist.* T. I. p. m. 375.

d) In praefatione ad *Érotomata graecae linguae* p. 312.

e) Exempli causa xenodochii nostri ad Sp. s. ecclesiasticis olim praecrat talis *Custos*, quem ANDR. DOBER, (de quo v. Dipt. ecclesiar. Norimbb. continuata p. 155. f.) *dominum reverendum* appellat in *der Antwort auff drey Artikel nach begerung des würdigen Herrn Custos etc.* Nürmb. 1524. 8. — Henricus de Hewen, Episcopus Churienfis, simul erat Argentinensis ecclesiae *Custos* et Thesaurarius, cui IAC. WIMPHELING. *Ioannis Nideri* Formicarium a. 1516. dedicavit. Cfr. etiam LONGOLII *sich. Nachrichten von Brandenb. Culmbach* T. IV. p. 241. not. 225.

f) Lutheri praefatio et totius libelli contenta leguntur in ARNOLDI *K. u. K. Hist.* T. I. p. m. 372—374.

g) Scilicet in praefat. ad Theol. Germanicam gallice versam, de qua infra dicendi locus erit.



terque ridiculam sententiam profert: „Je dis, que cette appellation est venu d'un petit abus. Les anciennes éditions de ce livre avoient simplement pour titre: *Theologia*, *Deutsch*: *h*) c'est à dire *la theologie*, ou la vraie theologie *en allemand*: (*Theologia*, germanice) Mais les editeurs suivans — aiant pris ces deux mots du titre pour un substantif et un adjectif, & partant pour une vieille et incongrue maniere de s'exprimer, ont crû, la corriger selon l'usage en remettant le mot, qu'ils croioient adjectif (mais qui estoit adverbe) devant le substantif avec l'article *die*; et ainsi ils ont fait *die teutsche Theologie* — quoiqu'il auroit fallû traduire *la Theologie* (ou la *vraie et réelle Theologie*) *écrite en langue Germanique.*„ Quomodo Poiretus haec scribere et paullo post Lutheri verba, quae iam narravimus, allegare potuerit, plane non videmus.

Auctoris doctrinam quod attinet, animadvertimus, eam plus pietatis quam verae et solidae eruditionis spirare. Neque enim ullis fere ad interpretandam s. scripturam praesidiis fuit instructus, non linguarum notitia imbutus, non antiqui temporis rituumque cognitione praeditus, lectione probatorum omnis aevi scriptorum, scholasticos et mysticos theologos si exceperis, parce nutritus, distinctis eque philosophia penu depromptis notionibus parum usus, e quibus dogmata sua secundum sanas interpretandi leges derivaret. Sic ergo, paucis, non sincerum in illo Dei amorem et pietatis excitandae confortandaeque fervorem, at iudicii acumen saepe desideres, multasque minus congruas phrasas vocesque reperias, v. c. *Ichheit, Selbstheit — der Mensch ist sein selbs ungewaltig — in der bekerung vnd besserung kan ich oder sol ich nichtz darzu thun, sondern blos lauter leiden, also das Gott allain thu vnd würck, vnd ich leid ihn* etc. Nonnullis propterea visus est auctor, Weigelianis aliisque fanaticis praelusisse; *i*) a quorum tamen erroribus mihi quidem abfuisse videtur. Mysticis scriptoribus interea accensendum, recte iudicant alii, qui proinde, in iis praecipue, quae de triplici via, purgativa, illuminativa et unitiva tradit, caute legendum praecipiant: quorum iudicio et ego accedo, cui persuasum est, in iis, quae nimium spirare enthusiasmum dicuntur, multa illi excidisse imprudenti. Poiretus, ipse theologus mysticus, in cit. *Biblioth. Myst.* p. 206. tale fert iudicium: „Est libertus celebris, *maxime radicalis* — qui nil fere quam *merae christianae, maxime interioris, theologiae principia* continet. Deum esse omnia, hominem esse nihil, malum appropriationis, abnegatio sui et reliquorum omnium; tum discrimen veri et falsi luminis, puri ac mercenarii amoris, constitunt argumentum, de quo agitur, *sine notabili quidem methodo*. — Auctor litteris operam non dederat, et quoad vixit, intra se latuit, aliis, quantum ad animi dona, profus incognitus. „ M. FLAUCIUS, qui loc. cit. auctorem inter veritatis vestes collocat, fatetur, sermonem eius esse subobscurum, illumque plura et clariora de theologia scivisse, quam potuerit exprimere. Lutherus ipse, qui scholasticis doctoribus mysticos semper praetulit, et pro cognitione, qua anno 1518 gaudebat, librum, a Staupitio impetratum, *k*) valde commendavit, in praefatione scribit: „Niemand ergere sich in dem schlechten teutsch oder yngekraenzten vnd yngefraenselten worten. „ Attamen seculo XVII. IO. ARNDTIUS magnus Theologiae Germ. laudum praeco extitit, cuius de ea iudicium duplex reperitur adiunctum de Vero Christianismo VI. libris, ab *Ad. Struensee* Halae 1760. 8. luci expositis.

Editionum Theologiae Germanicae magna est copia. Cel. PANZERUS noster in *Annalen der aelt. deutsch. Litteratur* p. 414. 423. 434. primam non modo de a. 1518, sed et brevi eam secutas enumerat, nempe *Aug. Vind.* apud Silv. Ottmar 1518. 1520. et 1526. 4. *Argentor.* per Jo. Knoblauch 1519 et 1520. 4. *Lipsiae* 1519. 4. quibus nonnullas addidimus: *Basil.* per Ad. Petri 1523. 4. *Witeb.* 1531. 4. *Regiom.* 1558. 4. *Franc. a. M.* 1560. 4. *Amstel.* 1678. 12. Plures, quae sec. XVII. et nostro prodire, omitterimus, illud tantum notantes, *Io. Arndtii* editionem Magdeb. 1621. *Lipsiae* 1734. 12. et saepius impressam, ab ipso valde mutatam passimque auctam fuisse, atque *Pb.*

Nürnberg J. G. G. 1526.

h) Id quod falsum est.

i) vid. *Hummii Betracht. der Paracels. u. Weig. Theologie* p. 24—31.

k) Theologiam Germ. sine dubio indigitat, ad Staupitium d. 31. Mart. 1518 scribens: „Ego secutus Theologiam Tauleri et eius libelli, quem tu nuper dedisti imprimendum Aurifabro nostro Christiano (forte *christiane*) debeo, ne homines in aliud quicquam confidant, quam in solum I. C. non in orationes, vel merita sua etc. Cfr. *Epistolar. Lutheri a God. Schönzio* editar. T. II. p. 21.

I. Spenerum operibus Io. Tauleri, Franc. 1675 et 1703 germanice editis, hanc Theologiam teutonicam adiunxiffe.

Versionum huius libri non minor copia est. Translatus est *belgice* sub tit. *Summa der godlicker Schrifturen, oft een Duytſche Theologie*, impressusque Antw. ap. Plant. cum approb. censoris Sylvestri de Prado 1590. 8. Rursus s. l. et a. ead. form. *Belgice* et *latine* prœdiit Lugd. 1569. 12. *Gallice* sub. tit. *La theologie germanique* — avec un traité de l'amour de Dieu, Amst. 1676. 12. Ibidem nova interpretatio gallica excusa fuit: *La theologie reelle, vulgairement ditte la Theologie Germanique; avec quelques autres traités de meme nature et une lettre et un catalogue sur les écrivains mystiques*, 1700. 12. Editor sine dubio est, cuius iam mentionem fecimus, Petrus Poiretus, id quod litterae in fine praefaminis positae P. P. et LOECHERI *Lex. erudd. univ.* P. III, col. 1650 indicant. Praefationis satis longae — quippe paginas 122 comprehendit — sunt partes tres, quarum prima singularia historica de tractatibus sequentibus eorumque argumentum tradit, altera de theologia mystica agit; in tertia auctor probare conatur nullitatem iudicii cuiusdam viri eruditi inter protestantes de theologia mystica. l) Duae hae praefationis partes a pag. 34 — 189 una cum epistola de praecipuis scriptoribus mysticis reperiuntur latine ad finem G. ARNOLDI *Historiae et descriptionis theol. mysticae* p. 425 — 645 sub tit. Solida defensio theol. mysticae etc. Omisit vere Arnoldus in versione latina dictae epistolae multâ, ad defensionem Antoniae Bourignoniae et P. Poireti pertinentia, quae hic p. 104 — 118 habentur. — *Latina*, eaque elegantissima, veste hocce opusculum donavit Io. THEOPHILUS, s. vero nomine SEBAST. CASTALIO, quae versio prœdiit *Basl.* 1557. 8. *Antw. ap. Plant.* 1558. 12. *Colon. eod. a.* 12. *Lugd.* 1580. 16. *ib.* 1655. 12. saepius dein repetita. Hanc translationis operam Castellioni ceu magnum crimen exprobrare studuit rixosus ille *Tb. Beza*, cui cum eodem etiam de aeterno praedestinationis, ut vocant, decreto atque de versione latina N. T. quam uterque adornaverat, magna lis intercessit. m)

Tandem de excerptis libri nostri quaedam addimus. Nonnulla ex Theol. Germ. latine reperiuntur in libro: *Theologiae pacificae itemque mysticae ac huius auctorum idea brevior* — Amst. 1702. 8. Narrat scriptor anonymus, se secundum vera theologiae pacificae fundamenta Iacobi Gaerden, Theol. D. et Prof. in collegio regio theol. academiae Abredonensis apud Scotos, Lond. 1700. ed., excerpta ex hac Theol. Germ. editionis Poiretianaë tradere, nempe ex illius praefationis parte altera, dein etiam epistolam de scriptoribus scriptisque mysticis totam, de qua dicit: „Caeterum cum haec epistola non modo et auctoris notis et correctionibus, quas ipse communicavit, auctior sit facta atque correctior; sed et is hanc ipsam versionem latinam viderit, correxerit et approbaverit: clarum est, omnes, quae hanc praecesserunt, editiones, omnino postponendas esse huic nostrae, ex qua perfectius auctoris (Poireti) mentem agnosci ac de ea iudicium ferri potest. „ A. 1705 prodire *Amstel.* in 4. *Opera* Iac. BRILLII, theol. mysticae cultoris, inter quae tractatus XV. tus sub titulo *Vitae occultae*, s. vitae fidei, totius Theol. Germanicae paraphrasin atque explicationem exhibet. — Io. PISTORIUS, theologus pontificius, edidit *Ein Stück von dem lautern Worte Gottes oder der teutschen Theologia*, Colon. 1596. 4.

Sed pergo ad ea, quorum causa haec a me scripta sunt. Nempe *Professoris historiae litterariae atque ecclesiasticae* in gymnasio Aegidiano munere a PERILLUSSTRIBUS DOMINIS SCHOLARCHIS gratiose mihi demandato, nihil eidem mihi prius esse, nihil antiquius, debebat, quam ut gratum piumque animum adversus talem favorem, quoquo modo possem, demonstrarem. Quo quidem dulci officio ut, certe pro more, defungar, adituali oratione dicturus sum die XXX. Iunii in auditorio Aegidiano *de libertate christianorum religiosa seculo III. et IV.* Ad eam orationem ut REIPUBL. NOSTRAE PROCERES GENEROSISSIMI, VIRIQUE MAGNIFICI, SUMME VENERANDI, CONSULTISSIMI, PLURIMUM REVERENDI, CLARISSIMI, DOCTISSIMI, frequentes convenire, et novi muneris initia atque ipsas adeo bonas litteras ornare sua praesentia et favore velint, ita rogo atque oro, ut eam rem me in magno et inprimis iucundo beneficio positurum pollicear.

l) Iac. nempe *Thomasii* in sched. hist. de defin. philos.

m) Cfr. inter *Epistolas Bezae* XLVI. ta p. 213. in qua Castellionem, quem Martinum Bellium nominat, valde fugillat; et I. C. FUESLIN *Leb. Gesch. Seb. Castellio* p. 71. 77. f.